Vergilius Maro, Publius; Servius [Comm.]; Donatus, Aelius [Comm.]; Landinus, Christophorus [Comm.]; Domitius <de Calderiis> [Comm.]: Opera: Bucolica et Georgica

Nürnberg: Anton Koberger, 1492 Seite 488



Hos ſup aduenit volſca de gente camilla
Agmen agens equitũ:& florentis ære cateruas:
Bellatrix non illa colo:calatbis ue mineruæ
Fœmineas aſſueta manus:ſed prælia virgo
Dura pati:curſuqȝ pedum:puertere ventos:
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret.
Gramina:ne teneras curſu læſiſſet ariſtas.
Vel mare p medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter:celeres nec tingeret æquore plantas:
Illam omnis tectis agriſqȝ effuſa iuuentus
Turbaqȝ miraẽ matrũ:& pſpectat euntem
Attonitis inbians animis:vt regius oſtro
Vellet honos leues humeros:vt fibula crinẽ
Auro internectat:lyciam vt gerat ipſa pharetrã
Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum.

## Deſcriptio Octaui libri.

p Ræparat octauo bellũ quos mittat ĩ hoſtis
Dat belli ſignũ laurenti turnus ab arce.
Mittiẽ & magni venulus diomedis ad vrbẽ
Qui petat auxiliũ:& doceat:quæ cauſa petendi:
Aeneas diuum monitis adit arcada regem:
Euandrũ arcadiæ profugũ noua regna petentẽ
Accipit auxiliũ hinc natũ & ſocia agmia iũgit
Euander:palas fatis comes ibat iniquis
Iamqꝫ habilis bello:& maternis lætus in armis
Fataqꝫ fortunaſqꝫ ducum caſuſqȝ ſuorum
Sortitus clypeo diuina contẽtus in arte eſt:

## P.Virgilii Maronis Aeneidos Liber octauus

T belli ſignum laurenti turnus ab arce
Extulit:& rauco ſtrepuerũt cornua cãtu
Vtqȝ acres cõcuſſit equos: vtqȝ ĩpulit ar
Extẽplo turbati animi:ſiẽ omẽ tumultu (ma
Coniurat trepido latium:ſæuitqȝ iuuentus
Effera ductores primi meſſapus:& vfens:
Contẽptorqȝ deum mezentius vndiqȝ cogũt
Auxilia:& latos vaſtant cultoribus agros
Mittiẽ & magni venulus diomedis ad vrbẽ
Qui petat auxiliũ:& latio conſiſtere teucros:
Aduectum æneam claſſi:victoſqȝ pœnates

verbis expreſſit flumẽ anguſtũ. Cõtra de tiberino ait:In mare prũpit. Hos ſup aduenit vol.de gẽte ca. Prudẽter poſt cõpletã cõmemorationẽ virorꝫ tranſit ad fœmineas.ita.n.de troianis legiẽ q vltimũ amazonũ poſtularũt auxiliũ: quæ res ab Homero ptermiſſa ẽ. Sane iã præſagiũ ĩ fœlicitatis futuræ:qđ inter ipſa pricipia armanẽ & fœminæ. Volſca de gẽte ca. De priuerno volſcorꝫ oppido:vt Priuerno antiqua metab⁹ cum excederet vrbe. Et florẽtis ære cateruas. Ennius & Lucreti⁹ florẽs dicũt omẽ qđ nitidũ eſt. Hoc ẽ ſecut⁹ Virg. Aliter a cyrologia eſt. Lucretius:Florebat nauib⁹ potus. Calatbis ue mineruæ. Minerua & armorꝫ dea eſt:& lanificii:ſed Camilla animũ ad arma ſolũ cõtulerat. Camilla] Curſuqꝫ pedũ puertere vẽtos. Bene pedũ adiecit: ne p equũ eius gloria minuereẽ: qđ ei obiicit. Quid tñ egregiũ ſi fœmia fortifidis equo. Læſiſſet ariſtas. primas ſpicæ ptes: dictas ab eo qđ primo areſcãt. Tingeret æquore plantas. Mergeret:vt Tinguat equos. Iuuẽtus Turbaqꝫ miraẽ matrũ & pſpectat euntẽ. ante ornatũ ei⁹ poſt arma dictur⁹ ẽ. Vñ hiſteron ptheron eſſe voluerũt:in reſpõdendo: vt ornatũ mrẽs viri vero arma mirenẽ. Sed melior ſenſus eſt:vt ſicut dictũ eſt accipiam⁹. Ea em ſex⁹ vterqꝫ miraẽ: quæ ſunt poſita cõtra opinionẽ:vt mireẽ fœminæ arma in muliere:viri ornatũ in bellatrice. Attonitis.ĩ hians animis ſtupore quodã patefacto ore. Lyciã. vt gerat ipſa pharetrã. Quaſi lyciã: vt legim⁹ cretẽſes ſagittas. Paſtoralẽ pfixa cuſpide myrtũ. Nõ haſtã myrteã:ſed ipam myrtũ: Sta. Lerneã iacit ille trabem.

CHRI. Vfens. Fluuius hic haud longe a teracina in tyrrhenum cadit mare. Eſt & vfens alter fluuius in gallia ciſalpina:q ex alpibus cadens padũ ingrediẽ. Camilla. Camillos antiqui miſtros dixerunt. Illa vel intactæ. Pulcherrimæ hyperbole quas latini ſuplatiões nominãt: quæ qꝫuis apertũ mendaciũ præferãt: tamẽ magnũ inde fit aut augumentũ aut iminutio.

## SERVIVS.

T belli ſignum laurenti turnus ab arce. Apud maiores noſtros tria erãt militiæ genera in bellis gerendis. Nã aut legitima eraẽ militia:aut cõiuratio.aut euocatio. Legitima erat militia eorꝫ: q ſinguli iurabãt p re publica ſe eẽ facturos: nec diſcedebãt: niſi cõpletis ſtipẽdiis.i.militiæ tpibus:& ſacramẽtũ vocabaẽ: aut certe ſi eẽt tumultus.i. bellũ italicũ: vel gallicũ: in qbus ex piculi vicinitate erat timor mult⁹: qa ſingulos iterrogare nõ vacabat: q fuerat ductur⁹ exercitũ:ibat ad capitoliũ:& exinde pferens duo vexilla: vnũ roſeũ: qđ pedites euocabat:& vnũ cæruleũ: qđ erat equitũ. Nã cærule⁹ color ẽ maris: a cui⁹ deo equũ cõſtat inuẽtũ: dicebat. Qui rẽp. vult ſaluã eẽ me ſeqẽ:& q cõueniſſet ſil: iurabãt:& dicebaẽ iſta militia cõiuratio.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-85/0487
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG